FLORA.

66. Jahrgang.

No. 7. Regensburg, 1. März 1883.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — Pflanzensammlungen. — Phänologischer Aufruf. — Anzeige.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quadragesima. — Exponit W. Nylander.

1. Collemopsis obpallescens Nyl.

Thallus evanescens vel nullus (sine microscopio) visibilis; apothecia pallido-testacea vel carneo-testacea, biatorina (latit. 0,4—0,6 millim.), marginata (margine subpallidiore) vel demum convexa immarginata; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,007—8 millim., paraphyses vix ullae, epithecium dilute lutescens. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens.

Super saxa calcarea umbrosa prope Thermas Herculis in Hungaria (Lojka).

Species bene distincta, at facile pro *Lecidea* sumta, si analysi non rite attenditur. Thallus microscopice depauperatus vel obsoletus. Perithecium distincte cellulosum. Spermogonia generis. Datur in Zw. L. no. 714.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0099-6

2. *Collema isidiodes* Nyl.[1])

Thallus nigricans granuloso-aggregatulus in glomerulis (latit. circiter 1 millim.), subpulvinatis. Sterilis.

Supra saxa calcarea in alpibus bavaricis, Hochgern, altit. 5000 ped. (Arnold); in Anglia, Warton Crag (Martindale).

Incerti loci in genere. Thallus e congerie efficitur syngonimiorum (figurae subglobosae vel oblongo-difformis), filamentis saepe indistinctis.

3. *Physcia ectaneoides* Nyl.

Subspecies videtur *Physciae parietinae* magis stenophylla, laciniis angustioribus imbricatis, apotheciis margine crenato firmo, sporis minus crassis (longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,005—7 millim.).

Super saxa calcarea in Gallia meridionali (legi ad Monspelium et Mirval).

Spermatia oblonga, longit. 0,0015—20 millim., crassit. 0,0005—7 millim.

4. *Lecanora callopiza* Nyl.

Similis fere *Lecanorae callopismae* vel *sympageae*, sed sporis simpliciter ellipsoideis parte media septiformi crassitiei tertiae vel quartae partis longitudinis totius sporae (haec longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,006—8 millim.).

Supra saxa calcarea in alpibus rhaeticis ad limitem nivis (Anzi, qui misit nomine „*Placodium murorum* var. *centrifugum* miniatum"), in alpinis Delphinatus supra saxa quartzosa et in subalpinis ad Luchon in Pyrenaeis super saxa argillaceo- schistosa.

Spermatia oblonga, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,0005—7 millim. — Datam vidi in Mass. L. Ital. no. 63.

5. *Lecanora miniatula* Nyl.

Subsimilis *Lecanorae lobulatae* Smrf. (at vix nisi var. *Lecanorae tegularis* (Ehrh.)) thallo subminiato planiore, sporis minoribus longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,004—5 millim.

---

[1]) Arn. in Flora 1870, p. 232; non ibi bene indicatus. Apud Arn. l. c. obvenit fabula Schwendeneriana, sicut semper inexperientiam exhibens, ubi de Nostoc in textura hujus Collematis praesente narratur. In rebus Lichenum satius versatus mox intelligit hoc „Nostoc" sistere *isidium* thalli juvenile; id omnino elementare est et vulgatissimum. Super epithallum profertur (bulbillos simulans), nec intra thallum obvenit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0100-3

In Scotiae subalpinis (altit. 1850 pedum) montis Morrone in Braemar (Crombie), super saxa quartzosa.

Accedit ad Arn. L. n. 383b, sed thallo planiore et minus evoluto.

6. Lecanora obliterascens Nyl.

Etiam similior quam prior *L. lobulatae*, sed sporis longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,004—5 millim.

In Scotia, Craig Tulloch (Crombie), super saxa micaceo-schistosa; in Vogesis ad Bruyerum (Mougeot); in Haute Vienne (Lamy) super saxa quartzosa et serpentinea.

Varietas videtur *Lecanorae tegularis* sicut prior.

7. Lecanora brevilobata Nyl.

Varietas sit *Lecanorae sympageae* (sporis conveniens), thallo inaequali diffractulo, ambitu breviter vel obsolete lobatulo.

In Pyrenaeis orientalibus, La Massane, altit. 600 metr.

Facie satis distinguenda. Habet se ad *L. sympageam* fere aut *L. lobulata* ad *L. scopularem*.

8. Lecanora apagea Nyl.

Varitas sit *L. sympageae* (sporis conveniens) holocarpa, thallo vix visibili, apotheciis confertis subpulvinato-congestis.

In Pyrenaeis centralibus super Barèges, altit. fere 2000 metr.

Etiam haec facie distinguenda, peculiaris thallo fere deficiente.

9. Lecanora tenuatula Nyl.

Est quasi *L. tenuata* Nyl. in Flora 1879, p. 202, sed thallo confuse subareolato-disperso et passim solum laciniolas (latitudine vix 0,1 millim. excedentes) effingente inter areolas indistinctas; sporis aliis (sunt eae ellipsoideae turgidulae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—7 millim.).

Super saxa calcarea prope Monspelium (legi jam 1853).

Species sine dubio bona, tenella. Thallus vitellino-aurantiacus, tenuissimus, passim obsolete subradians. Apothecia aurantiaca (latit. 0,2 millim. vel minora).

10. Lecanora subaurella Nyl.

Thallus vitellinus, minute granulis dispersis super hypothallum nigrescentem tenuem subdispersum; apothecia vitellina (interdum subaurantiaca) planiuscula (latit. circiter 0,5 millim.),

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0101-8

margine laevi vel demum interdum extus thalline subgranuloso-cincta; sporae 8nae ellipsoideae vel suboblongo-ellipsoideae, septo tenuescente (saepius pertuso), longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,004—5 millim.

Supra saxa granitica maris aestu adtincta in insula Noirmoutier (Viaud-Grand-Marais).

Facies est fere *Lecanorae incrustantis* minutae. Sporis differt a *L. citrina* et *vitellinula*. Spermatia ellipsoidea, longit. circiter 0,001 millim., crassit. 0,0005 millim. — Thallo et hypothallo differt a *L. luteoalba* (Turn.), quae comparari possit.

11. Lecanora inconnexa Nyl.

Subsimilis *Lecanorae lobulatae* Smrf., granulis thalli vitellinis subcrenatis (non radiantibus), saepe sparsis; sporis apice utroque pariete distincto involutis (longit. 0,011—14 millim., crassit. 0,006—7 millim.); spermatiis bacilliformibus (longit. 0,0030—35 millim., crassit. 0,0005—6 millim.).

Supra saxa dolomitica prope Monspelium (legi 1853).

Tenuior est quam *L. incrustans* comparabilis et notis sporarum spermatiorumque distans. *L. interfulgens* Nyl. in Flora 1878, p. 340, etiam sporis differt. Ad stirpem *L. citrinae* pertineat.

12. Lecanora congrediens Nyl.

Thallus lurido-cinerascens granulato-crustosus, fere mediocris; apothecia ferrugineo-rubescentia (latit. circiter 1 millim.), conferta, margine thallino crassulo inaequali cincta; sporae 8nae longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,005—7 millim.

Supra saxa bitumineo-tofacea ad Claromontium (rev. Héribaud), au Puy Crousel, in Arvernia.

Ad *Lecanoram haematitem* maximo accedens, sed thallo granulato (facie fere *Lecideae syncomistae*), apotheciis congestis.

13. Lecidea circinatula Nyl.

Thallus obscure cinereus vel fuscescenti-cinereus, adpressus diffractus, ambitu radioso-divisus, radiis planis; apothecia obscure fusca innata plana (latit. circiter 0,5 millim.), margine thallino tenui integre cincta; sporae 8nae simplices ellipsoideae, longit. circiter 0,007 millim., crassit. 0,005 millim., paraphyses crassulae articulatae. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvorubescens (praecedente coerulescentia).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0102-4

Supra saxa silicea maritima apud Beechy Head in Anglia, Sussex (Crombie).

Est quasi *L. circinata* minor, sporis etiam minoribus. Spermatia bacilliformia recta, longit. 0,0035—45 millim., crassit. 0,0005 millim., sterigmatibus infixa 2—3-articulatis gracilentis.

14. Lecanora homalomorpha Nyl.

Thallus albidus opacus tenuis continuus laevis subdeterminatus; apothecia nigra opaca plana innata (latit. 0,3—0,5 millim.), marginata, circumscissa, margine thallino nullo; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,018—21 millim., crassit. 0,011—12 millim., epithecium et hypothecium incoloria, thalamium violascens, paraphyses articulatae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein saltem thecae vinose rubescentes.

Supra saxa calcarea in Vallée de Cambasque Pyrenaeorum (Lamy).

Species ambigui loci, apotheciis lecideinis facile *Lecidea*, sed affinitates potius habens inter *Lecanoras* stirpis *cinereae*. Ex facie disponeretur inter *Lecideas* vicinas *L. calcivorae*, at nihil analysi in apotheciis adest fusco-rufescentis. Thallus gonidia glomerulosa habet. Interdum perithecium obsolete vel tenuiter obscurum. Spermatia bacilliformia, longit. fere 0,004 millim., crassit. 0,0005 millim. — Color violascens gelatinam hymenialem perfundens (inde color thalamii violascens) Acido nitrico roselle tingitur.

15. Lecidea aggregatula Nyl.

Thallus albidus vel albido-cinerascens, minute granulatus, granulato-aggregatus, diffractus (crassit. circiter 0,5 millim.); apothecia nigricantia vel fusconigra opaca adnata plana, immarginata vel submarginata (latit. circiter 0,5 millim.), intus pallida; sporae 8nae oblongae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,005—6 millim., epithecium fuscum, paraphyses gracilescentes, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens (etiam sporae tum fulvescentes).

Supra saxa porphyroidea in Charwood Forest, Leicestershire (Larbalestier).

Species est e stirpe *Lecideae leucophaeae*, thallo statim dignota aggregatulo. Thallus (K—) Sirosiphone saepius instratus. Apothecia subrugulosa; paraphyses apice fusco-clavatulae. Spermatia arcuata, longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,0005 millim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0103-0

16. *Lecided praeposita* Nyl.

Thallus albus vel albovirescens, tenuis vel tenuissimus, subfarinaceus continuus, aut alibi firmiusculus et rimulosus; apothecia badio-fusca prominula (latit. 0,5—0,7 millim.), concaviuscula vel plana, marginata, margine (vel perithecio) subpallescente; sporae 8nae incolores ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,006—7 millim., epithecium lutescens, paraphyses graciles, hypothecium lutescens parte supera (subhymeniali) subrufescente. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens.

Super saxum calcareum umbrosum prope Zuberecz in Hungaria (Lojka).

Datur in Zw. L. no. 719. Affinis est *L. Arnoldi* Kphb., sed *L. praeposita* est major, apotheciis obscurioribus, majoribus etc. Gonidia (diametris 0,011—16 millim.) sunt haplogonidia pariete (perigonidio) crasso, hoc pariete demum uno latere conice prominente et divisionem gonidii praeparante; portiuncula chlorophyllina simul eodem latere e chlorophyllo cellulae genitricis separatur et intruditur sensim in gonidio sese formante accrescitque cum hoc. Spermatia bacilliformia tenella, longit. circiter 0,0035 millim., crassit. 0,0005 millim.

17. *Lecidea abstracta* Nyl.

Thallus vix ullus (vel cinerascens leprosulus evanescens) apothecia nigra plana marginata, vel convexa subimmarginata (latit. 0,3—0,5 millim.), intus concoloria; sporae 8nae fuscae oblongae 1-septatae, longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,0035—45 millim., epithecium et hypothecium fusca, paraphyses clava fusca. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein obscurata thecis vinose rubescentibus.

In Pyrenaeis ad Cauterets, Vallée de Cambasque, quartzicola (Lamy).

Affinis *Lecideae saxatili* Schaer. et sit fere ejus subspecies. Comparari etiam possit cum *L. nigritula* Nyl., cujus quoque sporas habet.

18. *Verrucaria canella* Nyl.

Subsimilis *Verrucariae amphibolae* vel *glaucinae* sed mox dignota sporis subfusiformibus, longit. 0,025—32 millim., crassit. 0,007—0,011 millim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0104-6

Super saxa calcarea in Anglia occidentali, N. Wales, ad Bangor (Griffith).

Sporae oblongo-fusiformes vel oblongae, demum obscuratae.

19. Verrucaria pertundens Nyl.

Subsimilis *Verrucariae papulosae* Fr. (Zw. L. no. 361), sed bene distincta ostiolis constanter impressis vel intrusis.

Super saxa calcarea in comitatu Aroa Hungariae (Lojka).

Thallus cinereus tenuis opacus continuus. Systema gonidiale constat e syngonidimiis difformibus, glomerulos cellulosos sistentibus gonidimia numerosa continentes. Apothecia pyrenio dimidiato nigro, levissime vel obsolete cinereo-suffuso, convexo-protrusa (latit. basi 0,6—0,8 millim.), apice ostiolari punctiformi-impresso. Sporae oblongae 3-septatae, longit. 0,029—40 millim.; crassit. 0,012—18 millim. — Thallus demum inaequalis, subrimulosus. — Spermogonia non visa.

20. Verrucaria subsidua Nyl.

Est quasi *V. pyrenophora*, solum parte pyrenii supera (circumostiolari) nigra convexula, parum prominula, ostiolo impresso, cetero apothecio incolore. Sporae ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,027—32 millim., crassit. 0,011—15 millim.

Supra calcem in Gotlandia (Zetterstedt).

21. Melanotheca subpuncta Nyl.

Thallus vix ullus; apothecia nigra lecideoidea pulvinatula (latit. circiter 0,5 millim.), supra semel vel aliquoties impressula, infra incoloria; sporae 8nae incolores oviformes, tenuiter 1-septatae, longit. 0,015—19 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses gracilescentes parcae. Iodo protoplasma thecarum et sporae vinose fulvescentia.

Supra saxa calcarea prope Aroam in Hungaria (Lojka).

Species notis datis facile dignota. Datur in Zw. L. no. 723. Thecae oblongo-saccatae.

Observationes.

1. Genus *Nematonostoc* Nyl. in Bullet. Soc. bot. 1873, p. 263, 264, exponitur. Datur ibi definitio *N. rhizomorphoidis*, quod,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0105-2

sicut videtur e Revue bibliogr. ejusdem Societatis, 1882, p. 48, distribuitur in Pl. Delphin. 1882 (lectum a rev. Dupuy) nomine „*Nostoc flagelliforme* Berk. et Curt. in Berk. Introd. to Crypt. Bot. p. 142, Harv. Ner. bor. Amer. III, p. 115", ita ibi determinatum a D. Ed. Bornet, in speciebus rite concipiendis et distinguendis certe valde inexperto. Notum quidem habeo ipsissimum *Nostoc flagelliforme* Berk. et Curt. „creeping over naked soil of San Pedro in Texas, where it was found by Mr. Charles Wright" (collectionis no. 3809), atque facile patet id sistere *Nematonostoc*, at quidem speciem jam primo visu filamentis thalli undulato-flexuosis omnino distinctam a *Nematonostoc rhizomorphoide*, cui filamenta illa observantur semper recta, strictula. — Sunt igitur species generis *Nematonostoc* cognitae tres: 1° *N. rhizomorphoides* Nyl., 2° *N. flagelliforme* Berk. et Curt., 3° *N. intricatum* (Arn., pessime ab eo ductum ad Omphalarias in Flora 1869, p. 254, Exs. no. 399).

2. *Gonionema compactum* (Ag. sub *Scytonemate, Sirosiphon* Ktz.). Hoc fertile lectum in Anglia, Westmoreland, ad Mardale (Martindale). Affine *Gonionemati velutino*, sed trichomatibus adscendenti-confertis tomentum subadscendens formantibus, apotheciis subrufescentibus globulosis (latit. fere 0,2 millim.), epithecio minus distincto. Trichomata crassit. 0,016—23 millim. Paraphyses graciles, sat parcae. Thecae cylindraceae. Sporae oblongae simplices, longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,006—8 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde vinose rubescens (etiam perisporium ita tinctum). Sic apotheciorum structura cum *G. velutino* convenit. Spermogonia globoso-adnata, spermatia tenella, longit. 0,001 millim., crassit. 0,0005 millim.

3. *Ephebeia Martindalei* Cromb. Fere varietas *E. hispidulae* (Ach.), differens thallo vix spinuloso et receptaculo apotheciorum supra smaragdino-tincto (vel subcoerulescente, in lamina tenui viso), receptaculo diam. circiter 0,15 millim. Sporae oblongo-ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,014 millim., crassit. 0,004—6 millim.

4. *Collema thysanaeum* Ach. forsan potissime id sit, quod confundi possit cum *C. polycarpo* Schaer., sed thallum habet tenuiorem (crassit. in sicco 0,03 millim.), sporas fusiformes 5-septatas (longit. 0,024—48 millim., crassit. 0,006—8 millim.). Thallus I—. Vidi *C. thysanaeum* nostrum saxicolam e Corsica et e Gallia meridionali fertile. — Adest exoticum affine, *C. thysanaeoides*, ex. gr. in Java (Junghuhn) corticola accedens ad *C. thysanaeum*,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0106-7

thallo autem etiam tenuiore (crassit. circiter 0,025 millim. in sicco), sporis (fusiformibus rectis) 5—7-septatis, longit. 0,035—50 millim., crassit. 0,005—6 millim.

5. In *Collemate polycarpo* Schaer. thallus Iodo (in lamina tenui) purpureo-rubescit. Nec differt Schaer. L. H. 434, *C. stygium* Arn. Thallus crassit. 0,15—0,19 millim. in sicco statu.

6. *Collemodium plicatile* Ach. similiter I purpurascentem habet thallum.

7. *Lecanora elegans* Link. typica habenda sit saxicola frequentior, radiis convexis (latit. 0,5—0,9 millim.), saepissime adnatis, confluens cum f. *tenui* Whlnb. (radiis latit. circiter 0,25 millim.). — Var. *compacta* Arn. datur in Lojka L. Hungar. no. 26, in Norrl. H. L. F. no. 379. Est latissime distributa et radiis subdeplanatis faciem haud raro sumit accedentem ad *Physciam parietinam* * *ectaneoidem*. Color saepius vitellinus. — In Lojka l. c. no. 120 datur satis divergens a *L. elegante*, typica et quasi confluens cum *Ph. parietina;* dicatur *ectaniza*. Eadem tecticola in Arvernia, Mont-Dore (Lamy). Spermatia in *L. elegante* et varr. oblonga, longit. 0,020—25 millim., crassit. 0,0005—8 millim.

8. *Lecanora scopularis*[1]) Nyl. datur in Norrl. H. L. F. no. 280 et quoque in Fr. et Stenham. L. S. no. 391 A (in hacce collectione f. subminiata). Videtur species super scopulos marinos (vel lacustres) praesertim in Scandinavia habitans, sed etiam in Scotiae maritimis et in America septentrionali (Terra Nova) occurrit. Distinguitur thallo bene placodioso, bene radiato-diviso, minore, firmulo, nudo; radii latit. circiter 0,25 millim. Sporae longit. 0,009—0,017 millim., crassit. 0,005—7 millim. Spermatia oblonga, longit. circ. 0,0025 millim., crassit. 0,0005—6 millim. — Supra saxa arenario-calcarea ad Onegam lacum occurrit (socia *L. lobulatae*) var. *elegantella* thallo, subminiato, partim albo-suffuso, radiis discretis brevioribus vel vix nisi ambitu distinctis, convexulis, apotheciis prominulis concoloribus vel magis miniatis; etiam super saxa feldspathica in Finlandia boreali. Facie quasi *L. elegantis* minoris, tamen videtur var. vel subspecies *L. scopularis*; parce hucusque visa.

9. *Lecanora lobulata* Smrf. est vastissime distributa et potissime ad mare vigens. Etiam in Terra Nova. In Galliae ora occidentali frequentissime occurrit (simulque *L. sympagea*), sed ibi nulla *L. scopularis*. Ad *L. lobulatam* pertinet etiam *L. marina*

[1]) Nomen formatum sicut: ocularis, scrupularis, surcularis etc.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0107-3

Wedd., nullo modo distinguenda. Sporae longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,005—6 millim. Spermatia oblonga, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,0005—7 millim. — Accedit ad *L. scopularem* a qua constanter differt praesertim thallo minus evoluto, radiis non distinctis.

10. Lecanora incrustans DC., licet thallum habet non effiguratum, a cl. Arnold jungitur cum *decipiente* Ach., sed spermatia ambabus satis dissimilia. In *L. incrustante* ea sunt oblonga vel subellipsoidea, longit. 0,0020—25 millim., crassit. 0,0005—7 millim.; in *decipiente* Arn. oblongo-bacilliformia, longit. 0,030—35 millim., crassit. 0,0007—9 millim. Sed rectissime, ni fallor, nomen *L. murorum* (Hffm.)[1]) restituendum est illi *decipienti* Arn. (sed „*decipiens*" data in Arn. L. no. 382 vix differt a *L. tegulari*).

11. Lecanora tegularis (Ehrh.) vix est nisi subspecies *Lecanorae murorum* Hffm. (*decipientis* Arn.) et ad eam pertinet *microspora* Hepp Flecht. 397 (cui sporae longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,0035—45 millim., sed in Norrl. H. L. F. et plurimis adsunt longit. 0,009—0,014 millim., crassit. 0,004—5 millim. At *pusilla* Mass., huc vulgo ducta, in ipsius L. Ital. nis 99—101 sporas habet crassiores, longit. 0,009—0,014 millim., crassit. 0,004—7 millim., pertinetque ad *L. murorum*. In *murorum* Mass., L. Ital. nis 97 et 98, quae identica est cum nostra, sporae longit. 0,009—0,015 millim., crassit. 0,004—7 millim. In *L. tegulari* spermatia sicut in *L. murorum* vel paullo minora, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,0007—8 millim. Quae nominata fuit *Arnoldi* a Weddell (Arn. Exs. 383b) minime differt a *L. tegulari*, thallo nudo subminiato forma parum discernibilis. Omnes affines locis maxime apricis siccisque thallos facile obtinent miniatos, cur nomen „miniata" aegre typo alicui figendum sit. — In *L. murorum* thallus saepissime flavo-suffusus, sicut in *L. incrustante*.

---

[1]) Aberrant sane qui sensum definitum, subtilem et modo concipiendi hodierno aequalem quaerunt in nominibus veterum auctorum, qui solum rudimenta dare valuerunt conceptionis specierum maxime visibilium. Non in interpretandis illis nominibus aliquid accurate determinatum eruere fas est ubi numquam adfuit nisi fictio vaga, quod jam ex ea re necessario consequitur, scientiam tum caruisse experientia vel amplitudine elementa afferentibus comparationis distinctionisque. Raro sensum certum nominibus vetustis constituere licet. — Aberrant quoque qui auctorem, species regionis unicae examinantem et iis solis occupatum, habent idoneum typos veris limitibus determinandi; hocce tamen non concedendum esse patet nisi auctoribus, qui res vastissime plurimarumque regionum circumspexerunt, nam sic modo comprehendere possunt characteres verissimos specierum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0108-9

12. In *Lecanora callopisma* et *sympagea* spermatia sunt bacilliformia, longit. 0,040—50 millim., crassit. 0,0006—8 millim. Notatu dignum est, *Lecanoram sympageam* observari cum *L. lobulata* Placodia sola frequentia in rupibus maritimis Galliae occidentalis et ibi optime evoluta.

13. Lecanora (Leproplaca) xantholyta Nyl. in Flora 1879, p. 361. Ibi errore legitur „corticola" pro calcicola. Addi possunt duo loca: supra saxa arenaria calce penetrata in sylva Fontisbellaquei ad Mare Apiat sociam *Lecanorae callopismae* inveni et supra calcem in Anglia occidentali ad Bangor invenit D. Griffith. Lichen insignis. Thallus citrino-aureus tenuis mollis subleprosus, ambitu crenulato-subeffiguratus, intus albus. Est *Lepra* venusta plagulas sat latas saepe exhibens, chrysophanica (K purpurascentia). *Leproplaca* dicatur subgenus ad quod pertineat facile spurium vel forsan numquam apothecia proferens. Similiter *Leproloma* dicere licet *Amphiloma lanuginosum*, nam non sit in eodem genere conservandum cum *Amphilomatibus* veris, fertilibus, exoticis.

14. Lecanora atrosulphurea Whlnb. Ei thallus K (CaCl) erythrinice reagens similiter sicut in var. *biformi* Fr. Sed hoc nomen *biforme* valde dubium quoad sensum primarium, apud Fr. fil. enim res varias continet atque *L. sulphurella* Fr. fil. Arct. p. 220, eo ducta, est illa, quam habeo sistere *L. areolatam* Schaer. (Nyl. Prodr. L. Scand. p. 228) et quae satis distat a *L. atrosulphurea* jam reactionibus, sporis brevioribus etc. (eam vidi e Scandinavia artica et e Groenlandia). Neque minus differt *L. eliminata* (Arn. Ausfl. X, p. 5; L. exs. no. 538) thallo albostramineo, sporis subcrassioribus, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,006—7 millim., epithecio distinctiore (obscure vel sordide coerulescente), spermatiis brevioribus et minus incurvis (longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,0006 millim.) etc. Apud Arn. l. c, mensurae minus acute datae.

15. Lecanora convexula dicenda est nominata „*L. subintricata* var. *convexula*" in Arn. L. no. 541, quae epithecio nudo, non insperso fuscescente (paraphysibus apice clavato-incrassato) differt a *L. metaboliza* Nyl. in Flora 1875, p. 360, saltem sicut subspecies, sin sit propria species.

16. Sub *Lecanora rugosa* (Pers.) fere subsumendae sunt sicut subspecies *L. atrynea* Ach., *L. subrugosa* Nyl. et *L. chlarona* Ach., ita se arcte tangunt.

17. Lecanora horiza Ach. pro parte pertinet ad *L. Parisiensem* meam (nempe in hb. Ach. quoad specimen e Gallia missum

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0109-7

Achario a L. Dufour, sub no. 73, non quoad specimina Mosigii et Personii „*horizae*“ adjuncta et quae hujus non sunt loci). Forsitan potissime nomen Acharianum *horiza* huic Licheni retinere convenit.

18. Lecanora griseola Fr. fil. nomen videtur synonymon *L. recedentis* (Tayl.) Nyl. in Flora 1879, p. 361.

19. Lecanora centromela Lam. est species accedens ad *L. caesiocineream*, thallo cinereo areolato-rimoso tenui, apotheciis subtus stratulo centrali pulvinato nigricante. Sporae longit. 0,018—21 millim., crassit. 0,009—0,011 millim. Spermatia recta longit. 0,007—0,011 millim., crassit. 0,0005 millim. Super saxa silicea ad Cauterets (Lamy).

20. Lecidea athallina Hepp ad stirpem pertinet *L. aromaticae.*

21. Lecidea subsequens Nyl. in Flora 1874, p. 11, spermatia habet arcuata, longit. 0,021—28 millim., crassit. 0,0005—6 millim. Etiam in Karislojo calcicola in Finlandia meridionali (Norrlin).

22. Lecidea inferior Nyl. in Flora 1869, p. 411, thallo cinerascente subgranulato evanescente lecta in Karislojo (Norrlin). Epithecium subviolascenti-obscuratum. Spermatia bacillaria, longit. circiter 0,005 millim., crassit. 0,0005—6 millim.

23. Lecidea cyaniza Nyl. in Flora 1872, p. 359, thalamii stratum plus minusve late coerulescens habet. Ibidem (apotheciis nudis) lecta (Norrlin). Spermatia longit. 0,005—6 millim., crassit. 0,0006—7 millim. — In *L. petrosa* Arn. spermatia longit. 0,006—0,010 millim. — Quae etiam mensurae „certis judiciis“ sunt opponendae has *Lecideas* jungentibus.

24. Norrl. H. L. F. 145 non est *Lecidea sylvicola* Flot. ut legitur in schedula, sed *L. conferenda* var. *paraphana* Nyl., cui hypothecium centro non obscuratum (id addendum in Flora 1868, p. 477).

25. Saepe in substrato saxatili Lichenum observatur, haud parum profunde sub thallis, stratum virens vel smaragdinum, quod facile sicut e gonidiis schwendenerizantibus formatum sumi possit speculantibus ne fugiat occasio in thallos insinuari gonidia adpetentes. Revera color viridis, ita sub thallis inter particulas saxi (arenarii vel granitici) subjectus, ex elementis protococcoideis effingitur, sed ea elementa semper omnino differunt a gonidiis thallorum superpositorum. Crederes, primo obtuitu, thallum elementis suis virentibus intrudi in saxum; examine autem microscopico patet, rem aliter se habere. Sine ullo dubio Protococci sic nidulantur et propagantur sub thallis, humiditate thallina eos ibi adducente iisque favente.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0110-8

25. In Obs. 17 Addendorum XXXIX superficialem sistere modum videndi contendi qui genera ampliora Lichenum divellere vult in plura minora ob solum numerum majorem specierum. Animadverti, non determinari posse illum numerum non transgrediendum et quodvis genus limitantem. In Classe ex. gr. Muscorum Hypna talem multiplicationem suadeant; inde vero non sequitur idem valere apud Lichenes, nam in quaque naturae parte conditiones peculiares praepollent. Inter Lichenes, ubi respexi praesertim *Lecanoras* et *Lecideas*, quarum species differentiis plurimis maximisque divergunt et iis simul intricatis conectuntur, in illis longe minus naturalia certe sunt genera e divisionibus serierum instituta. Sic genera Massalongo-Koerberiana omnino artificialibus et levibus notis superstruuntur absque ullo fundamento studii serii, accurati et scientiae hodiernae congruentis; eam ob caussam hae conceptiones a *lichenologis sincere acuteque studiosis sensim* deseruntur.

27. Observetur hic denique, definitiones meas adtendere *brevitati*, *concisioni*, *perspicuitati*, *acumini*, quae virtutes sine dubio primariae sunt scientiae describentis. In quavis definitione tres sunt partes signo; separatae: 1° characteres thalli externi (non microscopici); 2° characteres apotheciorum (non microscopici); 3° characteres analytici apotheciorum. Additur nota apothecialis reactionis Iodo effectae. Demum afferuntur seorsim notae systematicae et diagnosticae (quibus distinctio elucet a speciebus comparandis) atque characteres chemici thalli et characteres spermogoniorum. Hac methodo evitantur descriptiones prolixae, quae fastidiosae evadunt, aegre legendae, repetitionibus praegnantes et facile offendentes elegantiam, quae signum est proprium verae scientiae.

Parisiis, die 28 Januarii, 1883.

Pflanzen-Sammlungen.

Ungarns Pilze. Herausgegeben von Georg Linhart, Professor an der kgl. ungar. landwirthschaftl. Akademie.

In den letzten Tagen des Jahres 1882 ist mir Cent. I obiger Sammlung in einem stattlichen Band zugegangen, bestehend in 100 getrockneten Arten und einem Atlas von 19 Abbildungen,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0111-4

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1883

Band/Volume: 66

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 96-109